

**1996-09-08 – SS Ioannes Paulus II – Nuntius ‘Agnificum Ecclesiae’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**NUNTIUS DATUS  
IOSEPHO S.R.E. CARDINALI TOMKO,  
ELECTO MISSO EXTRAORDINARIO  
AD CENTESIMUM EXPLETUM ANNUM  
AB EVANGELIZATIONE NAMIBIAE CELEBRANDUM**

*Venerabili Fratri Nostro  
Iosepho S.R.E. Cardinali Tomko  
Congregationis pro Gentium Evangelizatione Praefecto*

«Agnificum Ecclesiae Africanae incrementum et peracta opera magna ex parte gratuito strenuoque labori suet tribuenda quem missionariorum agmina per saecula sustinuerunt » (Giovanni Paolo II, *Ecclesia in Africa*, 35). Haec verba Adhortationis Apostolicae postsynodalibus illos singulariter respiciunt Christi discipulos qui ad exsequendum missionale opus dilectam Namibiensem terram centum abhinc annos attigerunt atque vitae christianaem flammam transmiserunt.

Quapropter Venerabilis Frater Bonifatius Haushiku, Archiepiscopus Vindhoekensis, una cum ceteris Namibiensibus Praesulibus, centesimum expletum annum ab evangelizatione Namibiae celebrandum sibi proposuit. Itaque, sicut accepimus, die VIII proximi mensis Decembris, ad magni momenti eventum commemorandum, sollemnisi agetur ritus in cathedrali ecclesia Vindhoekensi.

Hac de causa memoratus Sacrorum Antistes poposcit ut ad personam Nostram illic gerendam sacer Praesul constitueretur, qui Nomine Nostro ritibus praesset celebritatibusque tanto eventui convenientibus.

Ad te ergo, Venerabilis Frater Noster, qui scite ac naviter praees Congregationi pro Gentium Evangelizatione Nostram admovemus cogitationem et animum. Idcirco his Litteris Nostris Nostraque auctoritate te designamus Missum Extraordinarium Nostrum, mandatis tibi factis, ut sacris Vindhoekensi in urbe celebritatibus praevis nomine Nostro utque, pastoralibus sensibus Nostris fidelibus humaniter renuntiatis, communem exspectationem plane expleas. Dum per Te consulutamus Venerabilem Fratrem Bonifatium Haushiku, quem diximus, ceterosque Praesules et universum clerum ac populum Namibiae, confidimus sane illos omnes, renovato animo, spiritum vere catholicum in seipsis foturos omnesque vires suas in opus evangelizationis impensuros.

Ceterum munus tuum, Venerabilis Frater Noster, magni sane ponderes, considerantes, peculiares benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus Tibi universisque celebrationum participibus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Septembris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**